UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Constitvtiones Societatis Iesv

Ignacio <de Loyola>

Romae, 1570

Qvales Esse debeat Præpositus Generalis. Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68489

Visual Library

gendus. Accedat autem ad cætera hoc commodi ex eo, vt Societas in rebus magni momenti ad Dei gloriam ſatis ferè ſemper oc-
C cupata, * vniuerſalibus his Conuentibus minus laboris & diſtractionis patiatur.'

QVALIS ESSE debeat Præpoſitus Generalis. Cap. II.

A * INTER dotes varias, qui-
1 bus ornari Præpoſitum Generalem optandum eſt, omniũ prima hæc erit;' vt cum Deo ac Domino noſtro quàm maximè coniunctus, & familiaris, tam in oratione, quàm in omnibus ſuis actionibus ſit; vt eò vberius ab ipſo, vt boni totius fonte, vniuerſo corpori Societatis abundantem donorum, ac gratiarum eius participationem, ac multũ valoris,

C ❡ Conſtat rarius Congregandã vniuerſam Societatem, ſi Præpoſitus ad vitam eligetur: quandoquidem quæ fiunt Cõgregationes, maiori ex parte ad eius electionem, & rarò in alijs occaſionibus fiunt.

IN CAPVT II.

A ❡ AD has ſex partes, vt primarias, reliqua reducuntur; quandoquidẽ in eis Præpoſiti perfectio conſiſtit erga Deũ: quodq; eius affectum, intellectum, & executionem perficit, quodque ex bonis corporis, & externis iuuare poterit, & iuxta ordinem poſitum, momentum earum æſtimandum eſt.

B ❡ *Et ſic*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

valoris, & efficaciæ omnibus illis rationibus, quibus ad animarum auxilium vtetur, impetret.

Secunda, vt vir ſit, cuius in omni virtutum genere exemplũ reliquos de Societate iuuet; ac præcipuè in eo ſplendor charitatis erga omnes proximos, & in primis erga Societatem; ac veræ humilitatis, quæ Deo & hominibus amabilem eum reddant, ſit conſpicuus. 2

Liber etiam ab omnibus in ordinatis affectionibus per gratiam Dei edomitis & mortificatis, ſit oportet; ne interius iudicium rationis perturbent: & vt exterius tam ſit cõpoſitus, & in loquendo præſertim tam circunſpectus, vt in eo nihil, ne verbum quidẽ, notari poſſit, quod non ad ædificationem ſiue eorũ, qui de Societate ſunt (quibus ſpeculi, & exemplaris loco eſſe debet) ſiue externorum faciat. 3

Nihilominus eo modo didicerit rectitudinem, ac ſeueritatẽ neceſſariam cum benignitate, & manſuetudine miſcere, vt nec ſe flecti ſinat ab eo, quod Deo ac Domino noſtro gratius fore iudicauerit: & tamen filijs ſuis, ut conuenit, compati nouerit; eo modo ſe gerendo, ut etiam qui reprehenduntur, uel corriguntur, quamuis ſecundum inferiorem hominem, quod agitur, diſpliceat; agnoſcant nihilominus, quòd recte in Domino, & cum charitate ille ſuum officium faciat. 4

Animi etiam magnitudo ac fortitudo eſt ei perneceſſaria ad infirmitatem multorum ferendam, & res magnas in diuino ſeruitio aggrediendas, in eiſque 5

que conſtanter, quando id conuenit, perſeuerandũ; non propter contradictiones (licet à magnis, & potentibus excitatas) animum deſpondẽdo: nec ab eo, quod ratio, & diuinum obſequium poſtulat, ullis eorum precibus, aut minis ſeparari ſe ſinendo; ut omnibus demum caſibus, qui incidere poſſunt, ſit ſuperior: nec proſperis efferri, nec aduerſis deijci animo ſeſe permittat: paratiſſimus, cum opus eſſet, ad mortem pro Societatis bono in obſequium IESV Chriſti Dei ac Domini noſtri ſubeundam.

6 Tertia eſt, ut præclaro intellectus, ac iudicij dono polleat; ut nec in rebus ad ſpeculationem, nec ad praxim pertinentibus, quæ occurrerint, hoc talento ſit deſtitutus. Et quamuis doctrina ualde ei neceſſaria ſit, qui tam multis uiris eruditis eſt præfuturus; magis tamen eſt neceſſaria prudentia, & in rebus ſpiritualibus & internis exercitatio ad uarios ſpiritus diſcernendos: ad conſilium ac remediũ tam multis, qui neceſſitatibus ſpiritualibus laborabunt, adhibendum. Diſcretionis etiam donum in rebus externis, ac modo res tam uarias tractandi, & cum tam diuerſis hominum generibus in ipſa Societate, & extra illam agendi ſummopere erit ei neceſſarium.

7 Quarta & in primis neceſſaria ad res conficiendas eſt uigilantia, & ſollicitudo ad eas incipiendas, & ſtrenuitas ad eaſdẽ ad finem & perfectionem ſuam perducendas; ut nec incuria, nec remiſſione animi inchoatæ & imperfectæ relinquantur.

Quinta

Quinta ad corpus pertinet; in 8
quo, quod ad ſanitatem, ſpeciē
externam, * & ætatem attinet, B
habenda eſt ratio, hinc quidē decentiæ & authoritatis, inde verò virium corporis, quas eius munus exigit; 'vt in eo fungi officio ſuo ad Dei ac Domini noſtri gloriam poſſit.

Sexta * circa res externas eſt, C
inter quas, quæ magis ad ædifi- 9
cationem, & Dei obſequium in eo officio conferunt, præferri debent.' Huiuſmodi eſſe ſolent exiſtimatio ac bona fama: & demū quæ ex cæteris ad authoritatem cum externis, & cum ijs qui de Societate ſunt adiuuant.

Denique ex eorum numero eſ 10
ſe debet Præpoſitus Generalis, qui in omni uirtutū ornatu clariſſimi, & de Societate optime meriti, & diu in eadem tales eſſe perſpecti ſunt. Et ſi aliquæ ex dotibus ſuperius dictis deeſſent; certè non deſit eximia probitas, & amor erga Societatem, ac iudicium bonum, quod etiam idonea doctrina comitetur. In reliquis enim per eos, qui ad eius auxilium deſtinandi

B ¶ *Et ſic videtur ætas valde ſenilis nō cōuenire, quæ ad labores & curas huius officij idonea eſſe non ſolet; nec valde iuuenilis, quam nec authoritas, nec experientia quæ cōuenit, comitari ſolet.*

C ¶ *Externa cēſentur; nobilitas, diuitiæ, quas in ſeculo habuit, honor, & ſimilia. Et horum, cæteris paribus, aliqua ratio eſt habenda: alia tamen maioris momenti ſunt, quæ, quamuis hęc deſint, ad electionem poſſint ſufficere.*

IN CAP-

destinandi ſunt (de quibus inferius dicetur) cum auxilio & fauore diuino multa ſuppleri poterunt.

DE AVTHORITATE PRÆPOſiti Generalis erga Societatem, ac de officio eius. Cap. III.

1 VT bene gubernetur Societas; expedire valde videtur, vt Præpoſitus Generalis omnem habeat authoritatem in Societatem ad ædificationem: quæ poteſtas (vnde Præpoſiti officium cognoſcitur) hæc erit; primum Præpoſitus Generalis per ſe, & per alios admittere in Domibus, vel Collegijs, vel vbicunque libeat, poterit eos, qui ad inſtitutum Societatis ei idonei videbuntur; ſiue ad pro-
A bationem,* ſiue ad profeſſionẽ,' ſiue in Coadiutores formatos, vel Scholaſticos approbatos ad-
B mittendos cenſeat. * Poterit etiã eoſdem dimittere, & à Societate remouere.'

Eiuſ-

IN CAPVT III.

A ¶ *CVM vnum vel plures ad profeſſionem per alium admiſerit; prius nominatim de eis certiorem fieri, & de eorum dotibus ipſi ſatisfactum eſſe oportebit; vel hoc munus admittendi pro ſuo arbitratu (iuxta id, quod in quinta Parte dicitur) alicui, cui perinde, ac ſibi ipſi, confidat, peculiariter committat.*

B ¶ *Iuxta id, quod in ſecunda Parte de dimittendi ratione dictum eſt.*